

struendas. Equos praeterea plures alunt, haben schöne Stutereyen, quos exteris caro vendunt. Sal non minus in Colbergense vrbe, vbi alia quoque commercia florent, in alia regna effertur.

(2) INCOLAE eius boni milites habentur; frigoris ac inediae patientes: moribus aliquantum austeri, grauesque.

*Virtuti an vitio haec des, valde ambiguum? in maximis laboribus firmos & constantes se praestant Pomerani, neque, si bene eduoti sunt, ab humanitate elegantiaque abhorrent.*

(3) Iure fere SAXONICO vtitur Pomerania; sed in multis diuersisque causis peculiare leges habet, quas sequitur.

*In Parthenio litigioso aliqua annotata sunt, quae abeunt a Saxonis (\*). Habent etiam ihre Hof- Gerichts- Ordnung. Dictum de Gripho Pomeranico, id est, de iure dominiorum, quae ante aliquod lustra, iudiciis recuperatoriis institutis, vindicata sunt.*

§. XII. Quod si igitur tot Europae prouinciarum, quae Porussiae Regem dominum habent, contuleris rationes: non aliquid in his deesse inuenies, quod vel necessarium vitae vel Reipublicae vtile ac fructuosum sit, vt potentissimum hunc principem sibi in quibusque potius satis esse ac sufficere, prorsus videamus.

*Sed metalla forte exceperis; quibus alia quoque Regna ac Respublicae plures carent. Verum neque hoc dici poterit, cum Halberstadiensia; Mindensia; & Markana dominia aliam spem partim faciant, partim etiam alant expleantque. Et sufficit, quod aliquae prouinciae metalli fodinis ita vicinae sint, vt frugibus nostris carere nequeant metallurgi; quin paratissima pecunia eas redimant.*

§. XIII. Nunc, vt ADMINISTRATIONEM tot prouinciarum vel e longinquo intueamur, ordo exigit.

Y 3

Est

(\*) Imo Parthenii lib. I. c. 11. n. 20. haec verba sunt: Pomerania est in circulo Saxonico, nec tamen obseruat ius Saxonum. Vti falso putarunt Ingolstadiensis conf. Germ. tom. 3. conf. 22. n. 54. quod aduertit GOEDIEVS vol. 3. concil. 32. n. 185. qui diserte cautum esse dicit in dicasterio ordinatione, ne ius Saxonum iudicia sequantur.